De furtis·
De usuris·
De crimine falsi·
De sortilegiis·
De collusione·
De delictis puerorum
De clerico uenatore·
De clerico percussore·
De clerico maledicto·
De clerico excommunicato
uel deposito ministrante·
De clerico inordinato ministrante·
De clerico per saltum promoto·
De eo qui furtiue ordines suscepit·
De excessibus prelatorum et subditorum·
De noui operis nuntiatione·
De priuilegiis et excessibus priuilegiatorum·
De purgatione canonica·
De purgatione uulgari·
De iniuriis·
De penis·
De penitentiis et remissionibus·
De sententia excommunicationis·
De uerborum significatione·
De regulis iuris·

Explicit liber titulorum decretalium·
Sequitur modus exponendi sacre scripture

Thomas in prima parte summe sue capitulo primo principium de quatuor sensibus sacre scripture dicens. Auctor sacre scripture deus est in cuius potestate est, ut non solum uoces ad significandum accomodet quod et homo facere potest. sed et res ipsas. et ideo cum in omnibus scientiis uoces significent hoc habet proprium ista scientia. scilicet theologia. quod res significate per uoces ad significent. Illa uero prima significatio qua uoces significant res. pertinet ad sensum primum qui est hystoriacus uel litteralis. Illa autem significatio qua res significate per uoces iterum res alias significant. dicitur spiritualis. propter quod sensus spiritualis semper super litteralem fundatur et eum supponit. Hic autem sensus spiritualis trypharia diuiditur. sicut enim dicit apostolus. uetus lex figura est noue legis et ipsa noua lex ut dicit dyonisius in celesti ierarchia. est figura future glorie. In noua lege etiam ea que in capite gesta sunt. sunt figura eorum que nos agere debemus. Secundum ergo quod ea que sunt legis ueteris significant ea que sunt noue legis. est sensus allegoricus. Secundum uero quod ea que in christo sunt facta uel in hiis que christum significant sunt signa eorum que nos agere debemus est sensus moralis siue tropologicus. Prout uero significant ea que sunt in eterna gloria. est sensus anagogicus. Quia uero sensus litteralis est quem auctor intendit. auctor autem sacre scripture deus est. qui simul omnia suo intellectu comprehendit. non est inconueniens ut dicit Augustinus. si etiam secundum litteralem sensum in una littera sacre scripture plures sunt sensus. Sensus sacre scripture hystoriacus siue litteralis allegoricus. tropologicus siue moralis anagogicus et parabolicus sub litterali continetur. Augustinus de utilitate credendi dicit. Scriptura que uetus testamentum uocatur quadripharia traditur. scilicet secundum hystoriam. secundum ethymologiam anagogiam. allegoriam.